



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt III. Quibus authoritatibus, Philosophorum & Theologorum, & quibus
rationibus, & similitudinibus locorum, ostenditur, quod tres sunt Personæ
diuinæ, & vna earum natura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

CAPVT III.

Quibus authoritatibus, Philosophorum & Theologorum, & quibus rationibus, & similitudinibus locorum, ostenditur, quod tres sunt Personæ diuinae, & vna earum natura.

Quod autem tres sint personæ diuinae, & vna earum natura, authoritatibus & rationibus, & similitudinibus varijs potest ostendi. Nec solum authoritatibus Theologorum, verum etiam Philosophorum. In principio Genesios, secundum Hebraicam veritatem, legitur, Heloym, vbi nos habemus, Deus; et alibi, eloah enim est singulare nomen huius nominis, Heloijm, sicut Deus, singulare huius nominis, dij, Ergo, vbi nos habemus; (a) *In principio creauit Deus calum & terram*, Hebraei habent, *In principio creauerunt dij, vel domini, calum & terram*. Sed quos vocat Moyses deos vel dominos, nisi tres Personas diuinas? Non Angelos, quia Angeli non creauerunt calum & terram, imo, creati sunt. Vnus autem Deus est qui creauit calum & terram. Cum ergo Moyses dixerit pluraliter, deos vel Dominos, illa pluralitas aut ad diuinam naturam refertur, aut ad Personam: sed non ad diuinam naturam, ergo ad personam; ergo tres insinuat personas diuinas, quæ sunt vnus Deus. Consequenter etiam introducit Deus loquens in hunc modum: (b) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Cum ergo Deus hic introducat loquens, quæritur, ad quem, vel ad quos loquatur, cum dicit, faciamus. Ad Angelos videtur nullo modo loqui; non enim vna est imago vel similitudo Dei & Angelorum iuxta quam factus sit homo. Restat ergo vt Deus Pater loquatur ad Filium, & ad Spiritum Sanctum; vel sit communis vox

trium Personarum, iuxta quarum imaginem factus est homo. Vna autem est imago Patris & Filij, & Spiritus sancti, quia vna natura. Vbi etiam diabolus loquitur ad Euam, dicit: (c) *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum*. Quid per Deos intelligit tibi diuina scriptura, nisi tres Personas diuinas? Angeli enim hoc nomine nõ intelliguntur. Vt enim dicit Scriptura, in hoc voluit Deo esse similis Eva, quod appetijt esse prædita diuina scientia. In Isaiâ etiam legitur, quod Angeli clamabant: (d) *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Sed quid insinuat illa trina nominis repetitio, nisi Personarum Trinitatem? id est, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum: vt sit sensus, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus sanctus. Et vt insinuetur natura vnitas, legitur in singulari numero: Dominus Deus Sabaoth. De Abraham legitur in Genesi, quod (e) *tres vidit, & vnum adorauit*. Per quod insinuat, quod in tribus qui apparuerunt, intellexit trinitatem: & quia vnum adorauit, intellexit in Trinitate Vnitatem; & ita intelligitur adorasse Deum trinum & vnum. De Filio etiam David ait: (f) *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*. Si Dominus dixit Domino, alius fuit qui dixit, alius cui dixit: sed Deus Pater hæc dixit, ergo alius fuit cui dixit; sed eum David vocat dominum suum, ergo vel Deum vel Angelum; sed non Angelum; Angelo enim nõ dixit Deus, sede à dextris meis, sed potius pertinet hoc ad Filium, qui existens Deus, se det à dextris Domini, id est, æqualis est Patri. Æquales enim sedere solent à dextris Principum. In alio psalmo legitur: (g) *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Exquisitè præsens conuenit præterito: nam præsens in se habet recentiam, & præteritum in se habet fluxum, & futurum in se habet expectationem. Vnde, nihil proprie fuisse dicimus, nisi quod esse desijt; nec in præsentii

(a) Gen. 1. v. 1. (b) Supra. v. 26. (c) Gen. 3. v. 5. (d) Isaiâ. 6. v. 3. (e) Gen. 18. (f) Psal. 109. (g) Psal. 2. v. 7.

aliquid esse, nisi quod recenter incipit: nec futurum esse, nisi quod nunquam fuit, nec est. Vt, paries fuit albus, & modo est niger, & cras erit flauus. Comparatione tamen illorum quod simul durat cum eo quod iam præterijt, & adhuc durat cum eo quod modo incipit, & duraturum cum eo quod non est, sed erit; dicimus ipsum fuisse, & esse, & futurum esse. Vt scilicet, fuit homo, & est, & erit. Noluit ego Author iste dicere, ego hodiè gigno te, ne coniungendo duas notas præsentis, innueret recentiam generationis. Nec dixit, olim genui te, ne dum duas notas præteritionis coniungeret, generationis fluxum innueret. Ideò dixit, *ego hodie gigni te, vt recentiam remoueat apponendo præteritum, & apponendo præsens remoueat fluxum.* (a) Nabuehodonosor etiam qui erat gentilis, dixit se in fornace vidisse quartum similem Filio Dei. Et Mercurius Philosophus in Eclepsia, ait: (b) *Deus æternus facit Deos æternos.* Quid per Deum intellexit, nisi Patrem? quid per Deos æternos, nisi Filium & Spiritum Sanctum? qui dicuntur dii, id est, diuinæ personæ, & verè æternæ. Fecit autem posuit, pro, genuit, dum lapsus sermone, ait, fecit Deos æternos. Idem Mercurius in libro qui inscribitur, *Logostileos*, id est, verbum perfectum, ait: (c) *Deus summus, secundum fecit Deum, & eum dilexit tanquam filium suum vnigenitum, vocauitque eum, Filium benedictionis æternæ.* O quam eleganter dixisset Hermes Mercurius, si pro, fecit, posuisset, genuit.

Iesus etiam Filius Sirach, qui inter Iudæos magnus reputatus est, in tuo libro, qui liber Sapientie inscribitur, Filium Dei in hunc modum introducit loquentem: (d) *Ego in altissimis habitauis, & thronus meus in Columna nubis.* Et alibi: (e) *Antequam quidquam faceret ab initio, eram cum eo sunctus, disponens.* Quis loquitur hic nisi Filius, qui

cum Patre ab æterno cuncta disposuit. Et alibi ait: (f) *Et ego parturiebar.* Quis fuit qui ante mundi initium parturiebatur, nisi Filius Dei, quem ab æterno genuit sine initio? De Spiritu Sancto mentionem fecit Liber Geneleos, vbi dicitur, (g) *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Et in psalmo. (h) *Flauit spiritus, & fluxerunt aqua.* Et in alio psalmo. (i) *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Et in Isaia: (k) *Requiescet super eum Spiritus timoris Domini.*

CAPVT IV.

Idem Rationibus probatur.

Idem rationibus potest probari: quod legitur de numeris, ad numerata referendum est: quia quod dicitur de proprietatibus subiectorum, ad ipsa subiecta referendum est. Vnde, cum in Arithmetica dicatur, quod *sola vnitas indiuisibilis simplex, est origo omnis pluralitatis*, ad res subsistentes istud videtur referendum; sed in creaturis nullum existens subsistens inuenitur actu & natura simplex, & indiuisibile, quod non sit aliqua specie compositionis compositum; ergo in alio existente oportet nos inuenire illam ineffabilem simplicitatem; restat ergo & hanc esse in creatore, cum in creatura inueniri non possit. Quia sicut ab vnitate indiuisibili omnis procedit pluralitas quæ diuisibilis est, ita à creatore inuariabili omne procedit variabile, quia ipse manens stabilis dat cuncta moueri. Et sicut in vnitate & numero resultant creatoris & creaturæ imago, ita & Trinitatis similitudo: in proprietate enim vnitatis quodam modo resultat vestigium Trinitatis; quia vt apud Arithmeticum legitur, vnitas gignit seipsam. Inter vnitatem autem genitam & gignentem, quædam inuenitur æqualitas; in quo ergo subsistente hoc poterimus inuenire, nisi in Deo? Deus enim gignit

(a) Danielis, 3. v. 92. (b) Mercurius Philosophus. (c) Idem. (d) Ecclesiast. 14. v. 7. (e) Proverb. 8. (f) Ibi dem. v. 25. (g) Gen. 1. (h) Psal. 147. v. 18. (i) Psal. 50. v. 15. (k) Isaie 11.